

Nil enim quod nouum sit uisum apud uos prædicauit: sed omnes erant dictorum meorum non ignari. Pudere itaque uos præter ceteras ecclesias oportebit, quia à uis meis tam temere alterastis.

Rem habens cum nouera.

\*Tanquam uenturus non sum ad uos, sic inflati sunt quidam. Postquam Timotheum professus est eò ad se transmisisse, ne seigniores & torpidi redderent: sic infert, Et si in præsentiarum non uenio, & mea absentia insolentiores effecit nonnullos: uenturus sum tamen. Arguit autem puerilem inesse his animum. Si quidem puerorum sit præceptore absente, meras impositas transalire. Hos uerò inflatos dicit: qui circa adulterantè illum, qui cum patris uxore rem habuisset adhuc uersarentur: sicuti & sapientes & iuuites appellat, qui sapientia, & opibus efferuntur, uel forte quia deerat, quod eos criminis argueret Paulus, magnum in modum intumescabant.

Paulus Græce sapientie ignarus spernabitur.

\*Veniam autem cito ad uos si dominus uoluerit. Coercentis uerba sunt hæc, & ad pudicitiam instituentis. Rectè autem si dominus uoluerit, intulit. Huius enim ad nutum geruntur omnia.

\*Et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed uirtutem. Quum enim lingua uolubilitati Corinthiis, & eloquentia confiderent plurimum: Paulum uerò tanquam idiotam, & Græcè sapientia ignarum aspernarentur: spectabo, inquit, non uestram dicacitatem. Neque enim hæc est ulla in re necessaria, quum opus uirtute sit potius, quæ signis constat: quippe quum non oratione exulta & tumida, sed miraculis spiritus sancti uirtute æditis, prædicatum sit cælorum imperium.

\*Quid uultis? In uirga ueniam ad uos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? Virgam, supplicia appellat & pœnas. At igitur, In uestra est potestate stum, utrum hoc pacto, an aliter sum ad uos concessurus. Si uos ipsos negligentiores præstabitis: ueniens, tormentis adficiam. Sin uerò exciti fueritis, & spiritu uigiles: benignitatis erga uos spiritu & mansuetudinis utar. Est namque & crucians, & tormentis adficiens spiritus. Hunc tamè à potioribus nominat, quum mansuetudinis infert: quem admodum Deum & clementem dicimus, & misericordem, non alios torquentem: tamen si torquendi illi insit facultas.

CAPUT V.

Horredit scelus eius, qui cum nouera miscebitur.

**O**Mnino audite inter uos fornicatio: & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris aliquis habeat. Omnibus hoc, & si unius sit, impurat scelus: ne illud negligant, perinde ac si ab eo flagitio alieni, & minus participes, sed omni studio corripere adnitantur: quod in communem ignominiam cedat, & dedecus. Nec auditur, inquit, sed auditur omnino. Perinde ac si dicat: Si auditu hoc interdictum est intolerabile facinus: quanto magis minus est cuiquam audendum, & inter uos præcipue: quos spiritalibus mysterijs dignatus est Deus? Augendi autem criminis gratia, illud subiunxit, Qualis nec inter Gentes. Nec geritur dixit, sed nominatur, ut uxore patris habeat quisquam. Nec nouercam expressit, sed patris dixit uxorem, ut acrius illos ad repetendam genitoris memoriam urgeat. Honestius insuper & habeat intulit, quum eum fornicationis huiusce uel nominis magis puderet.

\*Et uos inflati estis. Hoc est, super fornicantis huius doctrina. Erat enim, qui id scelus patrarat, apud illos sapiens habitus. Aduerte autè quam prudenter id facinus, hanc ipsam rem explicet. Enim uerò eum fornicante illo, ut ignobili & facinoroso, sermonem ut habeat, ducat indignum: neque æquum existimet, ut in mediū prodeat, & innotescat, ad alios uerba facit: tanquam de communi crimine disserteretur.

\*Et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio uestrum qui hoc opus fecit. Eo inquit uobis plorandum fuit, quia ad communem ecclesie calumniam euasit hoc scelus. Nec minus optandum, & lachrymis deprecandum, uti facere in pestilenti morbo solemus: ut à uobis sublatus is, tanquam communis pernities aliqua dirimatur, abigaturque. Neque hoc quidem loco Apostolus fornicatoris illius explicat nomen: sed qui hoc opus fecit, duntaxat intulit.

\*Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicauit ut præsens. Neque enim suam Paulus protectionem opperitur: ut quum ad eos concesserit, tunc & facinus propalaret: & fornicator ille formidine caperetur: sed tanquam pestem exitiale aliquam, studet prius comprimere, quam in uniuersum ecclesie corpus transmitteretur. Præsens autem spiritu dixit, ut Corinthios urgeat in flagitiosum & pestiferum hominem sententiam ferre, terreatque, asserens se illorum iudicia, & gesta omnia spiritu cogniturum. Quum uerò inferret, tanquam præsens iam iudicauit: nihil hos sinit, nisi in adulteri illius condemnationem